Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 847
Quelle:
Copyright:

co. Anglosaxonicum puto. C. 14. *Greci in loquendo utuntur articulo, latini vero non — vtuntur et gallici articulo, anglici vero multis articulis, et tamen, quod dicimus in anglico, possumus exprimere in latino, ideoque audiui, quando in scolis gramaticalibus eram, quod, quando aliquid prius dicebatur in anglico, quod postea diceretur in latino, solebat a magistro dici: transfer mihi hoc in latinum, quod melius, ut mihi uidetur, dicitur, quam quod diceretur, sicut multi dicunt: fac seu compone mihi istam latinitatem.* &c.

Codicem utrinque ambit *Diploma* membraneum, quo *Petrus de Tassnowicz* Canonicus Ecclesiae S. M. V. in *Wolfframskirchen* et Rector Ecclesiae Parochialis S. M. V. — — *Paulum de Slawikowicz*, qui Codicis hujus saltem Partem, ut vidimus, scripsit, Baccalarium in artibus Vniuersitatis *Pragensis* autoritate sibi a *magnifico et potenti domino Ganfrido de Barra Comite Palatino* delegata Tabellionem creat. Delegatio data est *Rome aput sanctam Mariam m transtyberim. Anno Domini millesimo Trecentesimo Sex* — — (1363) *Indictione prima die prima mens. Octobr.* Ganfridum Δυνασην *Scotum* habeo.

Denique in utraque theca interiori extat *Fragmentum Poematis ethici* in titulos miniatos, ut videtur, olim divisi. En specimen:

Quod omnia veniunt de quinque fluminibus.
Omnis peccati sunt fontes quinque notati
Omne genus sceleris de quinis fontibus exit
Primus fons est cor hominis meditatio praua
De quo procedit hanc delectatio firmat
Consensus sequitur et rem deducit in actum &c.

CCXLV. VII A. 8.

26 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 333. f. max. quondam *Matthiae Corvini* digna hoc Principe magnificentia, seu calamum, seu penicillum auro coloribusque divitem spectes, adornatus. *Fol.* 1. *pag.* 2. hic Titulus in eleganti pictura literis aureis quadratis adparet: *In hoc Volumine continentur Comentaria Divi Hieronymi in Ezechielem Prophetam.* Supra scutum *Hungariae*, infra Leo stans erectus et dextro pede anteriori coronam praeferens conspicitur Insigne paternum *Comitatus Bisztricensis. Fol.* 2. frontispicium artificiosissime pictis Provinciarum Scutis, aliisque parergis splendidum hanc auream exhibet epigraphen: *Incipit Prologus Sancti Hieronymi in Ezechielem Prophetam ad Eustochium.* Litera initialis S. Patris imaginem habitu Cardinalitio continet. Ita et quivis XIV. Librorum ornatum suum in fronte habet. Ad calcem Calligraphus insignis nomen suum adjecit: *Nicolaus*